

ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus per que ecclesiis et monasteriis omnibus que vacationis incommoda deplorare noscuntur de salubris provisionis remedio consulatur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim monasterio sancti Iohannis baptiste in Berga prope civitatem Magdeburgensem ordinis sancti Benedicti, cui quondam Henricus Mosekow olim ipsius monasterii abbas dum viveret presidebat, per obitum eiusdem Henrici qui extra Romanam curiam diem clausit extremum vacante nonnulli monachi dicti ordinis in eo commorantes disoluti et ad eligendum in[h]abiles quendam monachum alterius monasterii dicti ordinis in eorum et prefati monasterii sancti Iohannis abbatem quasi de facto elegerunt. Nos igitur attendentes quod, si est ita electio, ipsa et inde secuta de iure veniunt annullanda ac cupientes ipsi monasterio sancti Iohannis de persona utili et ydonea per quam circumspecte regi et salubriter dirigi valeat provideri, fraternitati tue de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam gerimus per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vocatis monachis et electo predictis et aliis qui fuerint evocandi de vacatione dicti monasterii et electionis forma et eligentium in[h]abilitate ac electi huiusmodi meritis et ydoneitate necnon aliis premissis et eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris electionem ipsam et inde secuta quomodocumque nullius roboris vel momenti fuisse et esse declares et postquam declarationem huiusmodi feceris de persona ydonea ordinis sancti Benedicti expresse professa et illius regularis observantie, prefato monasterio sancti Iohannis cuius fructus redditus et proventus septuaginta marcharum argenti secundum communem estimationem valorem annum ut asseris non excedunt sive ut premittitur sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacet eiusque provisio ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore dato presentium non sit illi de abbate canonice provisum, eadem auctoritate nostra provideas ipsamque illi preficias in abbatem curam regimen et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ac faciendo sibi a prefatis monachis seu illius conventu obedientiam et reverentiam debitas necnon a vasallis et aliis subditis suis consueta servitia et iura exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum iuramento confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuscumque. Seu si monachis et conventui ac electo vasallis et subditis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et insuper prefate persone de qua monasterio sancti Iohannis huiusmodi provideris ut prefertur munus benedictionis impendas vel